



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Ivstitia Et Ivre Libri Decem, Reuerendi P. F. Dominici  
Soto, Segobiensis, Ord. Præd. Theologi præclariss.**

**Soto, Domingo de**

**Venetiis, 1608**

Admodvm Rever[en]do D. D. Christophoro Medices, Nobili Brixiensi,  
Archipresbytero Gavardi, Domino meo colendissimo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38878**



ADMODVM REVER. D.  
D. CHRISTOPHORO MEDICES,  
NOBILI BRIXIENSI,  
ARCHIPRESBYTERO GAVARDI,  
Domino meo colendisimo.



*V*M multorum libros peruoluerem (Admodum  
Reuerende mi Domine Christophore) & morem  
quem vel auctores, vel eorundem impressores, in  
huiusmodi libris edendis obseruant conspicerem,  
nullum profecto inueni quin sub alicuius nobilissi-  
mi, atque doctissimi viri nomine fuerit in lucem productus. Quem  
admodum etenim qui in agone contendit nobiliorem ducem quem no-  
uit, in vita sua defensionem, ne vi à multis opprimatur aduocat; sic  
qui opus aliquod in lucem prodat, & si non nisi à proteruis impugna-  
ri possit, alicui tamen doctissimo viro, illud committit, non qui so-  
lus nequeat ipsum tueri, sed quia eum altero potest eos vel omnino  
confundere, vel penitus ora concludere. Cum igitur praeclarissimum  
opus Reueren. P. F. Dominici Soto Segobiensis, quod de Iustitia in-  
scribitur & Iure, auro quidem purissimo pretiosius, & micanti car-  
a 2 bunculo

bunculo splendidius, rursus decreuissim imprimere, & laudabilem  
omnium morem prosequer sub doctissimi, & nobilissimi Domini  
Christophori Medices Domini mei colendissimi, tutela imprimen-  
dum curavi. Cui etenim alio librum hunc inscribere debebam? Ad  
quem alium dirigere? Quis erat tibi preferendus? Quis anteponen-  
dus? Christophoro namque, liber qui Christum fert; & Christopho-  
ro Medices liber qui animabus medetur erat donandus. Nobilissi-  
mo viro qui de nobilissima agit materia, & viro doctissimo, qui  
profundissimas ac difficillimas soluit quaestiones, codex erat inscriben-  
dus. Archipresbytero religiosissimo, opus quod de conscientijs ex-  
purgandis tractat, erat mittendum, & demum patri (ut auri)  
spirituali, noua, & Christiana quaedam philosophia erat tribuen-  
da, ut eam filios suos, & filias doceret, ut per eam populos  
instrueret, ut ipsa duce profugus ad patriam reuocetur; cecus ad  
lucem veram qua Christus est reuerteretur, & impius ex hostis  
antiqui manibus excipitur. Praeterea opus hoc praclarum ad te  
dirigere statui, quoniam si (ut Socrates aiebat) in bello ferrum  
auro praestat in vita tamen, hoc est tempore pacis, eruditio praestat  
diuitijs; Quare cum non me lateat, immo nec aliquem qui historia-  
rum lectio se dedit lateat, maiores tuos Atavos scilicet ac Pro-  
avos, locis serè omnibus, ac oppidis, quae S alodiensem lacum cir-  
cumsunt, dominatos fuisse, & summa cum prudentia, atque iusti-  
tia eas optime rexisse, & praeterea in bello semper victores extuis-  
se; modo in vita, hoc est in summa tranquillitate, non ferrum  
vel aurum, sed librum eruditissimum mitto, & quemadmodum  
maiores tui, milites quidem strenuissimi, bellorum tempore, im-  
mortalem gloriam sunt adepti, tu tempore pacis religioni addictus,  
& virtutibus insistens, maiorem consequaris honorem, & quod  
ipsi ensibus & gladijs contra visibiles hostes fortiter fecerunt, tu  
lingua, doctrina, & sanctitate inuisibiles hostes, (prout etiam fe-  
cisti,

*INDEX*  
cisti, & facis) eiicias indefesse. Hoc etiam addere, non superua-  
caneum erit. Quod si delectationes hæc quæ in ratione sunt, eas om-  
nes quæ ad sensum spectant, dubio procul excedunt, ut ex labori-  
bus meis maximam quandam sentias delectationem librum hunc  
tibi donare constitui. Namque ut Cicero inquit, cetera nec tem-  
porum sunt, neque ætatum omnium, nec locorum: Hæc vero stu-  
dia, adolescentiam agunt, senectutem oblectant, secundas res or-  
nant, aduersis refugium ac solatium præbent. Delectant domi,  
non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusti-  
cantur. Et eo libentius hoc facio quoniam librum, non de naturis  
creatarum rerum tractantem, non vanitates continentem, non  
de nominibus, vel (ut aiunt) de lana caprina disputantem, sed  
qui de conscientijs regendis, dirigendis, illuminandisq; discuti-  
entem, & tibi religiosissimo viro, maximè conuenientem; in lucem  
mandavi. Accipe igitur munus hoc paruum, & pro tantis sat erit  
solus amor, rogans tamen ut in tuis ad Deum precibus, me com-  
mendatum facias. Vale. Venetijs 16. Kalendas Julij. 1584.

*Dominationis tuæ*

*Deditissimus seruus*

*Florauans à Prato.*